



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **IAMMUENSIS-SRINAGARENSIS**\* APOSTOLICAE  
PRAEFECTURAE IAMMUENSI ET

KASHMIRENSI IAM IURIDICIALIS FORMA DIOECESIS IMPONITUR,

AC NOMEN INDITUR **IAMMUENSIS-SRINAGARENSIS** Qui Sanctissimi Numinis consilio

universae Ecclesiae gubernandae praesumus ipsi Nos Petri beatissimi successores, in hac profecto re curaque mentem Nostram defigimus studiumque omne consumimus ut videlicet divina Iesu Christi religio ac fides, quam Apostoli per universum terrarum orbem praedixerunt, Patres dein illustrarunt, maiores Nostri Pontifices Romani perquam diligenter sunt tuiti, fines suos usque proferat inter gentes ac laetissimae messis ritu et more fructus vel amplissimos reddat. Quam ob rem, cum Praefectura Apostolica Iammuensis et Kashmirensis in India haud parva sibi incrementa nuperius suscepisset maioraque etiam posthac suscipere posse videretur si iam dioecesis sui iuris formam legitime a Nobis accepisset, simul opportune fieri existimavimus si re ipsa illud perficeremus, hanc pariter ob causam ut sacerdotibus et religiosis ibidem salutariter velut in Domini vinea laborantibus tum merita tribueretur operum laudatio tum animus eorum ad novos iam vehementius incitaretur labores. Quae cum ita sint, Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis sententiam rite rogatis atque eidem huic proposito libenter adsensit, Apostolica Nostra auctoritate Praefecturam Apostolicam Iammuensem et Kashmirensem in dioecesis redigimus figuram, commutato scilicet superiore ipsius nomine in ecclesiam *Iammuensem-Srinagarensis*, iisdem tamen ditionis manentibus finibus factisque simul universis ei iuribus ac privilegiis quae sacrorum canonum virtute ad dioeceses pertinent. Quam praeterea dioecesis novam metropolitanae Ecclesiae Delhiensi subicimus suffraganeam eademque opera constituentes ut Congregationi pro Gentium Evangelizatione sit obnoxia. Episcopalem sedem in templo principi civitatis vulgo « Jammu » appellatae collocamus cum iuribus oneribusque propriis. Concedimus item ut canonicorum loco dioecesani ad tempus consultores deligantur qui Episcopo suo consilio et auxilio adsint. Cetera autem singula, administratio dioecesis, iura et officia cleri ac populi et similia, iuris canonici temperabuntur normis. Ultimam mandamus ut has litteras Nostras Venerabilis Frater Augustinus Cacciavillan, Archiepiscopus titulo Amiterninus atque Apostolicus in India Pro-Nuntius, ad rem efficaciter adducat per semet ipsum aut alium quem ipse delegaverit, additis nempe necessariis facultatibus. Eius denique erit actae rei documenta exarare atque sinceris exemplis ad

Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito curare preferenda. Quod superest, hanc Nostram constitutionem tam nunc quam in posterum tempus validam esse foreque volumus, ut quae sunt legitime decreta ab omnibus quorum interfuerit adserventur atque suam igitur plenam consequantur vim. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri ottavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	IOSEPHUS Card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 9, pp. 903-904

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana